



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus**

**Lessius, Leonardus**

**Antverpiæ, 1632**

Brevis Explicatio Et Divisio Virtvtvm Toti Operi Svpposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

# BREVIS EXPLICATIO ET DIVISIO VIRTVTVM TOTI OPERI SVPOSITA.

1.  
Subiectū  
virtutis.

2.  
Virtus  
immediatè  
ad per-  
ficiendas  
supremas  
animæ  
functio-  
nes ordi-  
natur.



**S**VPPONO Primò, *Virtutem* propriè tantum esse ponendam in supremis animæ potentijs, intellectu & voluntate; & ad supremas eius operationes (quæ sunt intelligere & velle) perficiendas. Est enim *Virtus* propria perfectio naturæ rationalis, quæ rationalis est. Rationalis autem est, quatenus est principium intellectionis & volitionis. Itaque tota ratio virtutis ad perfectionem harum duarum functionum immediatè ordinatur. Hæc autem perfectio consistit in attingendo *vero & bono*. Honestum bonum intelligo: hoc enim est proprium naturæ rationalis. Tunc enim intelligentia perfecta est, quando in qualibet re veritatem clarè & certò, quantum fas est, assequitur; & voluntas, quando bono honesto firmiter inhæret: sic enim suum finem & veluti formam, ad quam instituta est, vtraque potentia, & vtriusque potentia operatio consequitur.

3.  
Mediatè  
ad infe-  
riores.

Habitus  
partis in-  
ferioris  
non est  
virtus.

Porro ab harum perfectione pendet perfectio operationis facultatis imaginatricis, & appetitus inferioris, & potentia executivæ. Et quamvis in imaginatrice & appetitu inferiori sint aliqui habitus, quibus perficiantur ad suas functiones; (assuescunt enim ab intrinseco obedire rationi & voluntati, & ad hoc faciles promptique redduntur & determinantur) tamen probabilius est hos habitus non esse virtutes, sed tantum virtutum adumbrationes, & veluti *analogia* quædam, (vt Dionysij verbo utar) quæ ita virtutes intellectus & voluntates imitentur, eisque subseruiant, sicut vis imaginatrix & appetitus inferior deseruiunt intellectui & voluntati, eosque in suis functionibus imitantur. Quod ex eo confirmari potest, quod in illis potentijs inferioribus non sit libertas; vnde earum opus nec per se liberum est, nec laude dignum, sed solum vt subest motioni rationis & voluntatis. atqui opus, cui per se competit ratio virtutis, per se quoque maximè est laude dignum. Hoc enim est propria virtutis nota, præsertim eius, quæ est in parte appetente. Ratio à priori est, quia sicut vis imaginatrix non potest attingere rationem veri, solido iudicio discernendo verum à falso, honestum à turpi; ita nec appetitus inferior rationem honesti, amando præcisè quia honestum, rationique consentaneum, & odiendo quia turpe, ac rationi dissonum. Non enim potest ferri extra proprium obiectum, quod est esse delectabile sensibus, vel commodum naturæ, præscindendo ab ordine ad rectam rationem. Verum exactior de his disputatio pertinet ad 1. 2. q. 56. Vide D. Bonavent. in 3. d. 33. q. 3 & ibidem Scotum.

4.  
Quid  
virtus.

Duplex  
virtus.

Rectè igitur Aristoteles 7. Phys. c. 3. dicit *Virtutem esse dispositionem perfecti ad optimum*; quia perficit intellectum & voluntatem ad optimam operationem circa sua obiecta & propriam materiam.

Hinc sequitur, esse duplex *Virtutum genus*; alterum intellectus, alterum voluntatis: quia duæ sunt supremæ potentia, & supremæ operationes immanentes, quibus optimo modo natura rationalis *vero & bono* coniungitur & informatur.

*Virtus*

*Virtus intellectus* est dispositio perficiens illum ad cognitionem veri; facit enim infallibili modo verum cognosci.

5.  
*Virtus  
intellectus  
& volun-  
tatis quid.  
Honesti  
quid.*

*Virtus autem voluntatis* est dispositio perficiens voluntatem ad affectum honesti.

*Honestum* voco, quod Græci τὸ ὀρετόν dicunt, id est, decens, decorum. Decorum est quod congruit cuique iuxta præscriptum rectæ rationis: seu quod congruit naturæ rationali, quæ rationalis est, vel absolutè, vel supposito tali statu aut conditione rerum: idque vel per modum operationis, vel per modum obiecti circa quod versetur. Aliud enim decet virum, aliud feminam; aliud Regem, aliud subditum; aliud hominem, aliud Angelum, aliud Deum. Virtus igitur voluntatis in vnoquoque est affectus erga id, quod cuique congruens & decens agere vel appetere.

Suppono Secundo, Ex his virtutibus quasdam absolutè & simpliciter dicendas esse virtutes, quasdam solùm ex parte, vt D. Thomas ex Aristotele docet 1. 2. q. 61. art. 3.

*Absolutè* dicuntur *virtutes*, quæ non solùm præbent facultatem boni operis, sed etiam bonum vsum sui, id est, quæ ita voluntatem mouent & afficiunt, vt non possit illis malè vti tamquam principio operationis. Tales sunt omnes illæ, quæ vel inhærent voluntati, vel ad sui vsum postulant rectam voluntatem, vt prudentia, & fides Catholica.

*Virtus  
absolutè  
quid.*

*Ex parte*, seu *secundum quid* virtutes dicuntur, quæ solùm præbent facultatem boni operis, (id est, vt opus in suo genere perfectum fiat) non autem bonum sui vsum: vt sunt virtutes intellectuales huius vitæ, præter prudentiam & fidem. *Sapientia* enim, *intellectus*, *scientia*, & *ars*, etsi mentem perficiant vt cognitionem veritatis assequatur, & *ars* etiam dirigat potentiam executricem, vt opus artificiale perfectum reddat; tamen non faciunt vt voluntas ipsis benè, honestè, & laudabiliter vtatur: (possunt enim ad prauum finem adhiberi:) & ideo tantùm ex parte sunt virtutes, non absolutè & simpliciter, quatenus tantùm præstant vt rei cognitio, vel opus externum in suo genere sit perfectum, non autem vt proueniat ex bono affectu, & ad finem honestum tendat.

*Virtus se-  
cundum  
quid, seu  
ex parte.*

Suppono Tertio, Inter eas quæ absolutè dicuntur virtutes, alias esse *Theologicas*, alias *Morales*. *Theologicae* vocantur, quæ immediatè circa Deum, seu diuinam aliquam perfectionem tamquam obiectum formale versantur, vt *Fides*, *Spes*, *Charitas*.

7.  
*Theologi-  
ca.*

*Morales* autem, quæ in ceteris rebus mores hominum secundum præscriptum rectæ rationis componunt. Inter has, quatuor sunt quæ dicuntur *CARDINALES*, *Prudentia*, *Iustitia*, *Fortitudo*, *Temperantia*; quibus ceteræ omnes sunt annexæ, tamquam partes quædam potestatiuæ, iuxta D. Thomam.

*Morales.*

Vocantur autem *Cardinales* & *principales*, non solùm à DD. scholasticis, sed etiam à Patribus. Ambrosius in illud Luc. 6. *Beati pauperes*, dicit, B. Lucam in quatuor beatitudinibus amplexum esse *quatuor virtutes veluti cardinales*. Et infra: *Scimus virtutes esse quatuor cardinales, Temperantiam, Iustitiam, Prudentiam, Fortitudinem*. Lib. 1. Offic. c. 14. vocat eas *principales*. Eodem nomine vocat eas Prosper lib. 3. de Vita contemplatiua c. 18. & Gregorius lib. 2. Moral. c. 36. & alij passim.

*Cardina-  
les.*

Vt autem intelligatur ratio huius appellationis, Notandum est, nomine *Prudentiæ*, *Iustitiæ*, *Fortitudinis*, & *Temperantiæ* interdum intelligi generales quasdam rectitudines, quæ in omni virtute reperiri debent. Omnis enim virtus debet esse *prudens* in operando, ne erret per inconsiderationem, vel negligentiam:

8.  
*Cur sic  
appellatæ.*

tiam: *iusta*, vt præstet quod debet Deo, proximo, vel sibi ipsi, & vt neminem lædat: *fortis*, vt fortiter in bono persistat, non sinendo se ob vllas difficultates à recto dimoueri: *temperans*, vt modum à ratione præscriptum non excedat.

Hoc modo rectè dicuntur virtutes *Cardinales*, quia sunt generales, & principales quædam rectitudines, quibus tota vita nostra dirigi, & in quibus veluti quibusdam cardinibus firmari & verti debet.

Secundò, Significantur illis nominibus speciales quædam virtutes, quæ etiam rectè dicuntur *Cardinales*. *Prudentia* quidem, quia est ceterarum virtutum fundamentum, & veluti cardo. *Iustitia particularis*, non quòd excellentior sit ceteris, quæ alteri debitum reddunt; (sic enim potius *Religio* esset dicenda virtus Cardinalis) sed quia perfectissimè ea, quæ iustitiæ sunt propria, (nempe *respicere alterum, & reddere debitum ad æqualitatem*) in *iustitia particulari*, quæ est hominum inter se, reperiuntur. *Fortitudo*, quia versatur in maximis & difficillimis vel superandis, vel tolerandis. *Temperantia*, quia versatur in maximis voluptatibus moderandis. Itaque hæc tres sunt *principales*, tum quia singulæ sibi vendicant aliquam principalem conditionem & rectitudinem ex prædictis, quæ peculiariter in ipsis resplendat; tum quia versantur in materia principali, quæ potissimum illam rectitudinem postulat: de quibus infra suis locis plura dicentur.

Commendantur hæc virtutes Sapientiæ 8. *Sobrietatem & prudentiam docet* (Sapientia) *& iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus*. Vbi nomine *Sobrietatis* intelligitur *Temperantia*; *Virtutis*, *Fortitudo*; vt docet D. August. l. 1. *Retract.* c. 7. & patet clarè ex textu Græco, vbi ponuntur nomina harum virtutum Philosophis vsitata; *Σωφροσύνη ἢ ἡ ἐπιείκεια ἐν τῷ ἑαυτοῦ, ἡ δὲ ἀνδρεία, ἡ δὲ ἀντιθεσιμότης*. Vide Ambros. lib. de Paradiso c. 3. & August. lib. de Genesi contra Manichæos cap. 10. vbi tropologicè has virtutes volunt significari per quatuor flumina paradisi.

De istis igitur quatuor virtutibus, & ijs quæ his sunt annexæ, oppositisque vitijs & peccatis, nobis hoc Opere quatuor libris distincto tractandum est. De quibus agit D. Thomas 2. 2. à q. 47. vsque ad 171. cum antea virtutes Theologicas explicasset. Libro Primo dicendum breuiter de *Prudentia*. Secundo, de *Iustitia*. Tertio, de *Fortitudine*. Quarto, de *Temperantia*.



LIBER